



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXII. Mundi Jubilis est Maria. Exhilaravit, & indies exhilarat B. V.
Mariam Coetum Christianitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXII.

Maria Virgo causa est nostrae latitiae.

Comuni sacrorum Interpretum suffragio non ege- Exordium.
 mus, ad hoc, ad cognoscendum, quænam sit aurora
 illa, quæ per universum triumphantis ac militantis
 Ecclesiæ horizontem gratiosa sese diffudit, de cujus
 magnifico ortu, salubriter recreata, omnis creatura lætatur;
 siquidem devotorum beatæ Virginis clientum turbæ universa-
 les, in purpurascente luce auroræ, ejusdem Virginis Mariæ,
 mundo, ac cælo delectabilem nativitatem agnoscunt, ac vene-
 rantur: unde S. Bonaventura in Spec. Virg. cap. 9 ait. *O bea-
 ta Virgo! tu es aurora, de sole procedens, & ortum solis præve-
 niens, & in lumine solis diem nuntians.* Adhuc clarius Rupertus
 Abbas Tuitiensis, in Cant. cap. 6. *Quando nata es, o Virgo
 beata! tunc vera nobis aurora surrexit, quia sicut aurora est
 finis præteriti noctis, & initium diei sequentis; sic natiuitas tua
 finis dolorum, & consolationis fuit initium.* Sub hujus gratiosæ
 auroræ figurâ, probandum nobis incumbit, Mariam Virgi-
 nem Dei Matrem, totius lætitiæ nostræ causam extitisse. San-
 ctos desuper Patres consulamus. *Ave porta cælorum, & scala,* S. Patres.
ascensusq; omnium; ave portarum cælestis paradisi referentium;
*ave clavis regni cælestis; ave nostra consolatrix, qua mærores
 sedâsti, & oppressorum molestias leniisti, cunctasq; oppres-
 siones sustulisti.* salutatur Virginem S. Ephrem. serm. de Laud. B. V. S. Ephrem.
*Tu enim, qua revera gaudio sunt digna, agis, quæ super cælestis
 latitias vas es, atque receptaculum, nam per te gaudium dispen-
 satur omni creaturæ, genusq; humanum, antiquam dignitatem
 recuperat.* alloquitur Mariam S. Gregorius Taumaturgus. S. Grego-
 rius Tau-
 maturgus.
*Hæc est enim, cujus salutationis vox,
 & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera clau-
 dunt:*

- dunt: quòd si parvuli necdum nati, animalique saluati, ut Maria locuta est; quid putamus, quam fuerit celestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beatam ejus presentiam meruerunt. perorat S. Bernardus, ferm. 1. de Affligo. B. V. Sufficit certè iis, qui tui memoriam piè usurpant, pretiosissimam memoriam tua donum, quippe qua ejusmodi letitiam pariat, quam nullus eripere possit: quam enim voluptate, quibus hanc non impletur qui mentem suam, sanctissima memoria promptuarium effecit. suavissimè scribit S. Joannes Damascenus, Orat. de Dormit. B. V. Testis est conscientia Deus, quod si quando celesti gratiâ largiente, exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus, vel per horulam occupari, tantis mentis latitiâ saucior, tantâ interiori suavitate perfunder, ut cunctis vanitatibus, & concupiscentiis conculcatis, nil malum, ac appetam, quàm cum ipsolatiis spiritu, sidaretur, exilire statim ad Dominum: in forasibus carnis adhuc, & mundi luto degenibus, tam lata contingit in ejus nominis contemplatione feruere.
- S. Bernardus Senensis. testatur S. Bernardinus Senensis, ferm. 3. de glorioso Nom. Mariae. Tandem exclamat S. Bonaventura, in Stimul. amor. per. 3. cap. 19. *Quis enim te non diligit, ô Maria! reparatum omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnis sanctus exemplum; omnibus es amabilis, omnibus es affabilis, omnibus delectabilis. Gratiam nobis impetra Spiritus S. ut gratis conceptibus, delectabilitatem tuam producamus.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio seu Deductio,

Ab hereditate paternâ exclusus, & à facie Regis, demerito suo abjectus fuit, degener Regis David filius Absalon, quòd patri suo rebellis, adhuc vivo sceptrum, coronam regnum dolo primùm, dein bello eripere ingratus tentavit. 2. Regum 14. cap. sed prudentissima mulier Thecuites, matre Absalonis statui compatiens, iratum accedit Regem, pro filio ejus exule adeò potenter intercedit, ut horum illâ, offensus Rex David placatus, filio suo Absaloni

abjecto, paternam impertitus sit gratiam, & commissæ in se ingrati-
tudinis remissionem. Nonne hoc in casu felix nuntia, ac clementissima
regii Principis advocata, prudentissima matrona Thecrites, abjecto
Absoloni, inexpectatae fuit causa lætitiæ? Ob peccatum Adami, ab hæ-
reditate cœlestis Patriæ exclusus, & à facie Dei sui, miserimus
homo, æternum abjectus fuit, sed ecce benignissima Mediatrix,
prudentissima Virgo ac Mater misericordiæ, humanam infelicitatis
commiseratione ducta, sese interponit, ac homini advocatam
agens, potentissimo suo fiat *mihi secundum verbum tuum*, Lucæ 1. cap.
incomprehensibilem cum omni gratiâ & reconciliatione Deum,
in utero suo virginali concepit, quo factum, ut qui prius contemptibilis,
& abjectus erat homo, ad gratiam Dei & amicitiam, ad instar
prodigi filii paternè susceptus, & ad indicibilem, regiâ ac imperatoriâ
excellentiorem dignitatem, & honorem sit elevatus: id quod docuit
dilectum Christi discipulum, Angelus Domini, de quo in Apocalypsi.
cap. 19. Vidit nempe Joannes accedentem ad se Angelum, veneratione
dignissimum, illum ergo profundè revereri volens, flexo poplite
humaniter adorat; quod advertens Angelus de longinquo clamat,
dicens: *Vide, ne feceris*, quasi diceret: Noli me adorare, ne tam
profundè coram me te inclina, non enim decet; Cur quæso à Joanne
honorari Angelus recusat, cum tamen tempore Josue, hujusmodi honores
suscipere, non contrariebatur? *Cecidit Josue pronus in terram, & adorans*.
Josue 5. cap. Respondet purpuratus Ecclesiæ Doctor Cardinalis Hugo,
in Cant. cap. 6. cum S. Gregorio Pontifice, Hom. 8. in Evangelia.
*Temporibus Josue in antiquâ Lege, viderunt sancti Angeli, quàm
contemptus, & abjectus à Deo fuerit homo; à creaturâ tam contemptâ,
honorem Angeli suscipiunt, ac reverentiam; nunc verò in novo Testamento
(à tempore scilicet, quo in utero Virginis Mariæ, Deus homo factus est)
naturam humanam, prius ad eò despectam, supra naturam angelicam in
cælo exaltatam, Angeli intuentur; ideo Angelus à Joanne, tanquam à
creaturâ per Mariam supra Angelos dignificatâ, timere incipit.*

& ab ullo homine, honorem amplius, & reverentiam acceptare perhorrescit. Mariæ itaque Virgini adscribat homo, quid ex levissimo, dignior Angelis, & beatior effectus sit, ipsa est prudentissima illa Thecutes, quæ degenerem peccatorum, divinæ Majestati reconciliavit, eique gratiam impetravit, & gloriam. Ad litteram S. Antoninus. Part. 4. Tit. 15. cap. 14. §. 7. Hæc est figuratè prudentissima illa mulier Thecutes, quæ ita sapienter advocavit, apud Regem David, in causâ Absalonis, vani, superbi, & fratricide, exulis facti propter tantum scelus in Jerusalem, quod induxit Patrem David, ad misericordiam, erga filium, & ab exilio revocandum: Sic Virgo Maria, pro modo rebellis ipsi Deo, & occisore fratris sui, id est, animi sui, propter quod exul constituitur, à supernâ Jerusalem, ita advocat, & interpellat, ut Deum Patrem placet, & conversum ad parentiam, & gloriam inducat. Si ergo revocatus ab aula tantum regis exilio Absalon, Thecutesidem suâ recognovit causam lætitiæ, certè ab exilio aulae cœlestis ad gloriam æternam revocatus homo, Mariam Virginem, Causam lætitiæ invidibilis, in ævum sat deprædicare non poterit.

CONCEPTUS II.

A potentissimo Rege Assuero, super universam Judæorum gentem, sententia mortis decreta est, & litteræ ad executandum missæ sunt, per omnes Regionem ac Provincias Regis, mensis, ac dies, executioni determinata; sed ecce sublimis speciosissima Regina Esther, profundissimâ humilitate precibus Regis provoluta, salutem obtinet, vitam Judæorum conservat, quin & regium impetrat consensum, ut decreta mortis sententiæ quam primùm revocetur, litteræ executionis relaxentur, undique Judæis gratia Regis promulgetur, & veniat quo factum est, ut per integrum Regnum universi populi magnoperè lætarentur. *Omnisq; civitas exultavit, & lætata est; Judæis autem nova lux orti visa est, gaudium, honor, & tripudium, apud omnes populos, Urbes, atq; provincias, quæ Regis præcepta veniebant, mira exultatio, epule, atq; convivia.*

Æfestus dies. Esth. 8. cap. Quis hujus universalis lætitiæ causa Judæis fuit? nõnne Esther? A supremo Rege regum, ac Domino dominantium, sententia mortis æternæ in peccatores decisa est, apud S. Jacobum. cap. 1. *Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Omnes, peccatores nos esse, strictissimo Dei subiacere judicio fatemur; peccasse nos, certi sumus, an verò debitam præstiterimus pro peccatis satisfactionem, an sufficienter contriti fuerimus, incertissimum: ne per hoc tamen desperemus, sed indubitato nobis esse sinamus solatiõ, quòd speciosissima Esther, Regina cœli super omnes speciosa, Maria Virgo Dei Mater, pro omnibus se invocantibus, etiam gravibus, ac abominabilibus peccatoribus, apud Filium suum, strictissimum aliàs Judicem, humiliter, ac potenter intercedere non desinat, donec illis gratiam & misericordiam actualiter impetraverit, quam expertus est Theophilus, grandis ille peccator, qui spe lucri temporalis, & terrenarum dignitatum ambitione sublimis, Deum abnegavit, seseque diabolo, corpore & animâ subscripsit, læsæ Majestatis divinæ, ac mortis æternæ, vel ex hoc ipso reus, hic tamen impius ac sceleratus cum aliis adhuc mille & sexcentis gravioribus peccatoribus, damnationis pœnam evasit, abnegationis Dei veniam adeptus est, Mediatrice clementissimâ, cœlesti Esther Mariâ. Seraphicè in hæc verba incidit S. Bonaventura. in speculo, lect. 5. *Esther nostra beata Maria, tantam gratiam coram Rege aeterno impetravit, quòd per hanc non solum ipsa, ad coronam pervenit, sed etiam generi humano morti addicto subvenit.* Discat vel ab Hebræis, cœlestem suam Esther Mariam invocare Christianus, ut per ipsam salvus fiat, & meliori jure, ac illa Esther olim Judæo, Virgo Maria, in agone clienti, erit causa lætitiæ.

CONCEPTUS III.

Arctâ obsidione ab Holoferne obsessa est Bethulia, quam tamen fortis matrona Judith ab obsidione gloriosissimè liberavit, postquam inimicorum turmas pertransiens, detrunca-

x 3

tum

tum propriâ manu Holofernis caput, victrix retulit, ecce non exiguam angustiatis Bethuliensibus læticiam caulit, quod vel ex eâ maximè laude potest abundè colligi, quando liberati ab obsidione cives, reduci solemner decantaverunt. *Benedixerunt illam omnes, unâ voce dicentes: tu gloria Ierusalem, tu læticia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Judith. cap. Num potuit olim tam angustiata fuisse Bethulia, quam nostris temporibus, Deo permittente, angustiata fuerit Christianitas? Anno millesimo quingentesimo sepeuagesimo primo, Venetos invasit numerofo exercitu, armisque potenter obdoxit Selimus Turcarum Imperator, & quamvis cum Philippo secundo Hispaniarum Rege, Papa piæ memoriæ Pius V. paternè auxiliari angustiatis miserint populos, armis tamen ac viribus longè superior Christianis Turca erat, ita ut occubere in conflictu, Christianis prudenter timendum fuerit, sed Fortissima Judith, Virgo Maria, ad pugnæ initium, Generali exercitûs Joanni de Austria, evidens auxilium ferens, apparuit, nam inopinatò ventus contrarius Turcis exortus, qui de tormentis bellicis Christianorum ignem, & fumum in faciem inimicorum percussit, ut naves christianorum amplius dignoscere non valentes, seiplos intra se invicem occiderent, ac mactarent, quâ strage cœventâ, Turcarum milia triginta ceciderunt, octodecim millia captivata, quinquaginta millia captivorum christianorum liberata, centum & sexaginta, unum magnum, ducenta & quinquaginta tormenta bellica, ac tandem centum & octoginta galere à Turcis occupatæ sunt. Rara de tot millibus Victoria, non alio utique, quàm fortissimæ, quæ in exercitu Auxiliatrix vultu terapparuit, Judith Mariæ Virgini, grato animo adscendenda, quæ Christiano illi populo, inexplicabilis fuit causæ lætitiæ, dignissima, quam victores illi benedicant dicentes. *Tu gloria Hispanorum, tu læticia Venetorum, tu magnificentia Populi christiani, Maria de Victoriâ.* In quantis angustiatis clyta versabatur Austria Anno millesimo sexcentesimo octogesimo tertio, quando idem immanis ac abjuratus

Christianitatis, supraducentis virorum millibus, Viennam Austriæ Metropolim, ac Cæsaris Romani-Germanici Residentiam arctissimè obsedit, ac tertio jam mense undiq; coangustavit, dicat jam universus orbis, quantâ lætitiâ superfusa fuerit, tota, cum angustatâ Civitate, Patria, dum per generosissimos Germanicæ Heroes cum detrimento omnium tormentorum bellicorum, munitionis, ac tentoriorum, superbus Tyrannus in fugam abactus, atque ab ejus obsidione Urbs ipsa victoriosè est liberata. Sed quânam die mensis, Viennæ afflictæ, hæc triumphalis felicitas obtigit? duodecimâ mensis Septembris, infra octavam Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, ab hâc cœlesti Aurorâ Viennæ dies tam serenus illuxit, ista fuit fortissima Judith, quæ inimico Christianitatis facta est terribilis, ut castrorum acies ordinata, Viennensibus autem electa ut Sol, totius Austriæ est Causa lætitiæ. Subscribit S. Antoninus Part. 3. Tit. 31. cap. 4. *Ipsa est illa sancta Judith, qua ex magnâ misericordiâ ad populum suum cum magnâ providentiâ & fortitudine occidit Holofernem ferocissimum, obsidentem, & captivare volentem populum Dei.* Et B. Albertus Magnus in Bibl. Maria. lib. Esther. Num. 7. *ipsa est gaudium mæstorum, & triumpdium omnium Beatorum.*

CONCEPTUS III.

Romanis olim causa lætitiæ littera *A.* fuit, etenim quando delinquens damnari debebat ad mortem, supra portam Tribunalis, sive Capitoliî duas hasce litteras scripsere: *M. R.* quæ idem erant, ac: *Mortis Reus*: Tristantes litteræ, utpote, quæ mortem captivo indicabant; Verùm, si gratia reo impetrata fuit, litteram *A.* inter prædictas litteras *M. R.* posuere, nempe *M. A. R.* quibus vita condonata reo annuntiabatur, significabat enim: *Morte Absolvitur Reus.* An non reus hanc litteram *A.* lætus ac hilaris in portâ Capitoliî aspexerit? an non dixerit suæ esse causam lætitiæ? sub pœna mortis, primo homini, ne comedat de ligno scientiæ boni & mali, in Paradiso Deus prohibuit; *In quâcung; horâ comederis ex eo, morte*

710

moreris. Gen. 2. cap. Quia verò malitiosè contra hoc præceptum Domini egit, & prohibitum comedit fructum, factus est *Mortis Reus*, litteras hæc *M. R.* in portâ tribunalis divini cum posteris tristis aspexit: at verò in Novo Testamento, homini gratiam apud Dominum, Maria Virgo invenit: *Invenis gratiam apud Deum.* Lucæ 1. cap. hinc Gabriel Archangelus à Deo missus est, ut salutationis suæ *Ave*, quasi à *Va*, præfatis litteris *M. R.* lætificantem litteram *A.* interponeret, *MARIA*, id est, *Morte Aeternâ Reus Inferni Absolvitur*: atq; indicaret, *Va* illud mortis æternæ, quod superbiâ suâ *Eva* intulit generi humano, causa tristitiæ, à *Va* mortis æternæ, humilitate suâ absolverit, eidem humano generi causa lætitiæ, Virgo Maria; quod saluberrimum nomen retrogradè invocat marianus Cliens: *Ab Inferno Redime Animam Meam.* edoctus à Richardo à S. Laurentio. lib. 1. de Laud. B. V. cap. 2. *Sicut nomen Jesu, mel in ore, in aure meo, in corde jubilus; sic & nomen Maria.*

Epilogus,

Ad depellendam igitur de corde nostro omnem tristitiam, veræ lætitiæ Causam, Mariam Virginem in pectoribus nostris circumferamus, eamque consolati invocemus, cum venerabili Patre Joanne à Jesu Mariâ. Tom. 4. Epist. ad B. V. *Eja, per te tenerimum Unigeniti tui rogamus te, imprime intimo anima nostra centro, dulce super lac & favum, nomen tuum, quod scilicet nos conservemus, roburq; ex illo desumamus, nosq; insuper dignos regali sigillo Maria, quod undiq; circumferentes, dignoscamus emptitiâ mancipia tua, nec proinde cogitemus, loquamur, aut agamus quidpiam, quod non protinus in te dirigamus, ô sublimis Regina! invicta fortitudo! & cordialis Consolatio nostra. Amen.*

Virgo Maria! maris, vel à nomine, stella caris,

*Victrix tristitia, Causaq; lætitiæ.
Qui te salutat, ave, nomen repetitq; suum,
Dulci prole fove, cordis amara move.*